

§. LXV. Crediderim tamen, in scriniis principum plura adhuc delitescere; quod haec pars a nemine adhuc exulta esse videatur (d).

§. LXVI. Ceterum illud hic aduerti velim, in adplicatione ad publica imperii iura caute procedendum esse. Nam Caesares saepius priuilegia dederunt, ubi nondum expeditum est, iure eos dedisse. Interdum quoque priuilegia super iis rebus concessa sunt, quae proprio territorii iure accipere melius fuerat. Quicquid ergo alii hic, siue placendi studio, siue *consilii* magis, quam praecepti ergo, siue demum iuris sui *ignorantia* Caesari tribuerunt, illa intelligentiores alios a sua facultate necquicquam dimouebunt.

§. LXVII. Sunt tandem priuilegia, quae, mutata Imperii facie, expirarunt; aut publica ac pragmatica sanctione sublata sunt. Quamuis non satis expeditum esse videatur, an generalia pacta cum Imperatore Romano priuilegia huius vel illius Principis, ceu casus singulares, excipiant, an vero prorsus auferant haec & extinguant.

§. LXVIII. An priuilegia cum morte concedentis definant? pariter ab Imperii Principibus quaesitum est. Sed, priuilegiorum nonnisi discrimine facto, ad id responderi posse, existimo: quem nos delectum in operis contextu fecimus.

*Incisum V. notitia regionis & populi.*

§. XLIX. *Quinti* capituli diuersa membra sunt, quorum quodlibet praefixum habet finem singularem. Ad politicam status in quouis principatu notitiam plurimum refert, *regionis & incolarum* intellectum acquisiuisse. V-

S s s 5

triusque

(d) *Hic etiam rerum administratos rogo, ut industriae meae succurrant diplomatibus priuilegiorum, quibus quilibet Princeps prae alio a Caesare imperioque est munitus. Quo enim haec magis nota sunt, eo maiorem cuique Principi gloriam adferunt, eoque etiam fidentius illis uti licet, ne quis eos accuset alicuius insolentiae. Hoc consilio Austriaca domus multoties in medium protulit iussitque in libris describi priuilegia Austriaca, ut nulli Germano peregrina esse viderentur. Sunt tamen, qui etiam hic inuidiam metuunt, quo minus illa in publicum volunt prodire.*